



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

III. An intellectus noster intelligat vniuersalia, an singularia tantùm in rebus materialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

tum illuminatio, plane non nisi circa intellectum possibilem exercetur: circa talem vero intellectum nullam aliam actionem exercet agens præter speciei productionem: ergo hæc ipsa est actio, quam dicimus phantasmatum illuminationem sic appellatam, quia per illam apparet intellectui, quod in phantasmate representabatur: atque hoc modo intelligitur facile eiusmodi actio, alia vero quæcunque afferatur, ficta est, ac minime intelligibilis. Scio S. Thomam dicto cap. 77. libr. 2. contr. Gentes, appellasse intellectum agentem actuum circa phantasma, & subdidisse actionem intellectus agentis circa phantasmata præcedere receptionem intellectus possibilem, ac 1. part. quæst. 85. a. 1. ad 4. scripsisse, quod phantasmata illuminentur ab intellectu agente, & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelligibiles abstrahantur: viderique proinde S. Doctorem distinguere actionem circa phantasmata ab actione circa intellectum possibilem, & illuminationem hæc ab speciei productione. Nihilominus verus sensus est, quem proposuimus, ad ipsumque verba Sancti Thomæ sunt trahenda, vel certe non sunt in rigore accipienda.

16
De 2. m. u. e
re quæ un-
dam existi-
matio.

Iam ad intelligendam secundam actionem, est notandum, dupliciter dici rem quampiam intelligibilem potentia nimirum, & actu, quod ex sensibilibus explicari potest: dicitur enim aliquid visibile in actu, eo quod est actu immutatum visus secundum actualem dispositionem, ut color luce iam perfusus: visibile vero in potentia dicitur, quod secundum actualem dispositionem, quam habet, non potest immutare visum, si tamen disponatur, poterit immutare, ut color in tenebris. Sic in præsentia res quælibet veram habens entitatem intelligibilis est: ac si sit in actuali dispositione ad mouendum intellectum, dicitur actu intelligibilis, & huiusmodi sunt res præ spirituales: si vero non sit in tali aliqua dispositione ad mouendum intellectum, dicitur in potentia intelligibilis, cuiusmodi sunt res materiales, quæ si dicuntur actu intelligibiles virtute intellectus agentis: quod quidem Thomistæ nonnulli sic explicant, ut intellectus agens illuminando phantasmata det illis virtutem ad mouendum intellectum, sicque reddat materiam in phantasmate representatam actu intelligibilem, quod etiam volebat Caietanus, ut supra vidimus. S. Thomas quoque 2. contra Gentes, cap. 62. ratione tertia scribit, intellectum pati, & recipere speciem ab intellectu in actu, & questione de Anima, art. 15. intellectum agentem, per phantasmata actu iam intelligibilia effecta, causare efficientiam in intellectu, imo Aristoteles lib. 3. textu 2. & 3. affirmat: si ipsum intelligere sit, ut sentire, aut pati quoddam, id certe ab intelligibili, aut tali aliquo provenire.

17
A. A. v. u.
inducim.

D. Thomas
e. i. fau.

Ego vero certum puto, non aliter fieri rem actu intelligibilem, quam per productionem speciei, in qua res spiritualiter representatur, quod ex dictis patet: namque in ipsum phantasma nullam propriam actionem habet intellectus agens, neque etiam phantasma actu concurret ad productionem speciei. Vnde S. Thom. 1. p. quæ. 54. art. 4. ad 2. docet intellectus agentis esse illuminare intelligibilia in potentia, quatenus per abstractionem ea intelligibilia in actu efficit: est autem certum intellectus agentis abstractionem fieri per productionem speciei: quare per illa verba aperte significat Sancti Thomas tria munia supra dicta non esse tres actiones, sed esse unam. Vnde notanda est differentia in modo, quo sensibile in actu immutat: effectus nimirum, & formaliter: nam & speciem efficit in sensu, & species ipsa, in qua ipsum sensibile representatæ continetur, formaliter immutat sensum in formando ipsum. At vero res intelli-

Sensibile ali-
ter immu-
tat poten-
tiam, aliter
intelligibile.

bilis non immutat intellectum nostrum effectus: quia actu, & in se intelligibilis non est: immutat tamen formaliter, per speciem, in qua continetur spiritualiter: atque ita possunt exponi alia Divi Thomæ adducta loca, & Aristotelis, vel certe exposti, quod intelligibile in actu moveat intellectum, non ad actum primum, sed secundum: constat ergo rem non aliter fieri actu intelligibilem ab intellectu agente, quam quia modo aliquo sit spiritualis: sit autem huiusmodi in speciei productione.

De tertia tandem operatione, id est, abstractione est observandum, speciem non dici abstrahibilem, vel abstrahi a phantasmatis, quæ ipsa species prius esset immixta phantasmatis, unde postea separatur ab intellectu agente, ac transferatur in possibilem. hoc enim puerile esset cogitare, quo enim modo spirituale mixtum esset materiali: quo item migraret accedens de subiecto in subiectum. Intellectum ergo abstrahere speciem, nihil est aliud quam virtute sua efficere speciem spirituales representantem eandem naturam, quam phantasma representat, modo tamen quodam spirituali: illa que eleuatio à materiali representatione phantasmatis ad spirituales representationem speciei intelligibilis dicitur abstractione: ex quo aperte constat abstractionem non esse actionem distinctam à productione speciei: atque ad hunc modum intelligendum est, quod Aristoteles libro tertio, text. 32. & 39. indicat, obiectum intellectus agentis esse phantasma, hoc est, rem esse, quæ in phantasmate representatur, non prout ibi, sed prout iam in specie representatur, sic deinde intelligitur, quod capite quinto ait, intellectum agentem comparari ad possibilem, sicut artem ad materiam, quia sicut per artem recipit materia formam, ad quam solum erat in potentia, ita intellectus possibilis recipit ab agente species ad quas similiter erat tantum in potentia, de quo S. Thomas 2. contra Gentes, cap. 76. 77. Patet vltius ex his supra posita conclusio: patet quæ sit necessitas, quod munus, quæ actio intellectus agentis, ac denique quod sit eius obiectum: nimirum species intelligibilis: supra enim dictum est, obiectum potentie actiue esse id, quod potest efficere: cum ergo intellectus agens potentia actiua sit, eius obiectum erit forma, quam valet producere: hæc autem est intelligibilis species: quare, & c. De ipsa vero virtute quid sit, infra dicitur in 8. capite.

CAPVT III.

An intellectus noster in rebus materialibus cognoscat singularia, an vniuersalia tantum.

Postquam expositum est, quid sit obiectum commune intellectus, & quomodo intellectui vniatur, oportet in particulari exponere, quæ ratione intellectus percipiat, quæ sub tali obiecto continentur: hæc autem sunt materialia, & immaterialia, ac medium inter illa, quod est anima nostra, & quæ ei insunt, de quibus ligillatim est dicendum: ergo circa res materiales propostio, quæstio difficultatem habet, quoniam Aristoteles secundo de Anima, cap. 5. constituit differentiam inter intellectum, & sensum, quod sensus sit singularium, intellectus vniuersalium. Eandem distributionem refert 1. posteriorum, cap. 20. 5. Metaph. cap. 9. ex qua colligi videtur, sicut sensus est singularium, & non vniuersalium, ita è conuerso quod intellectus sit vniuersalium, non singularium, quod sic exponit, sequiturque Alexander Aphrodis. 1. de intellectu agentis: ac ratione arguitur. Nam

18
De 2. m. u. e

Quæ

Oportet
Thomam
de intellectu
agentis
necesse
est
necesse
est

1. 4.
firm
p. 10.
dicitur

Conclusio
qua de
intellectu
agentis
dicitur

Pro ratione
capituli
dicitur
intellectus
agentis
necesse
est
necesse
est

Quod
laria
habet
cognoscit
sensus
primo

Secundo. Nam intellectus noster non habet propriam speciem rei singularis: ergo non potest singulare cognoscere, siquidem intellectus non nisi per species cognoscit. Antecedens probatur, cum enim intellectus sit spiritualis, abstrahit ab hic, & nunc, seu à loco, & tempore: ergo & species illius in modo representandi abstrahit à conditionibus individu-
Tertio. Si intellectus cognosceret directe singularia, prius illa conciperet, quam vniuersalia: consequens est contra omnes philosophos, etiam Aristotel. dicen-
Quarto. ergo, &c. *Quarto.* Ad hoc ponitur intellectus agēs, ut abstrahat species representantes vniuersalia à phantasmatibus representantibus singularia, non ergo hæc, sed illa tantummodo nouit.

2. In hac questione conueniunt auctores singulare aliquo modo cognosci ab intellectu nostro, quoniam id euidentissima constat experientia, ut statim probabimus. Attamen difficultas est, & diffensio circa modum, quo singulare ab intellectu cognoscitur: S. Th. ergo ad loca citata opinatur, singularia non cognosci directe, sed reflexe tantum, id est, non cognosci per propriam speciem, sed per speciem rei vniuersalis, facta quadam conuersione ad phantasmata. Idem habet quodlib. 1. q. 8. & in quæst. de Anima, art. 20. Idem omnes Thomiste lib. 2. de Anima, Egid. lib. 3. textu 10. Ferrar. 1. contra, cap. 65. Sit tamen.

3. Prima conclusio: Intellectus cognoscit singulare formando proprium, & distinctum conceptum illius. Ita sentiunt Scotus in 4. dist. 45. q. 3. Richard. in 2. dist. 24. q. 4. circa tertium principale. Arimin. in 1. dist. 3. q. 1. art. 1. concl. 3. Durand. 2. dist. 3. q. 7. Argent. in 4. dist. 10. art. 3. q. 1. Iandun. 3. de Anima, quæst. 11. Apollinar. ibid. quæst. 12. Palat. ibidem, cap. 4. Ferrar. quæst. 13. Burlaus. 1. Physico-
Opinio D. Th. & aliorum, qui modo intellectus cognoscat singularia materialia.
rum, & alij. Probatur. Quoniam intellectus format propositionem ex singulari, & vniuersali termino: ergo concipit utrumque extremum proprio conceptu. Quod verò quidam voluit in tali aliqua propositione, v. g. *Petrus est homo*, subiectum esse in cogitativa, & prædicatum in intellectu, omnino est alienum à ratione, nam ubi quæso erit copula? aut quomodo vna ipsa potentia poterit comparare prædicatum subiecto, nisi utrumque cognoscat. Præterea intellectus distinguit hominem à Petro: ergo utriusque habet distinctam cognitionem: ut enim docet Aristoteles 3. de Anima, cap. 2. textu 145. & 146. nulla potentia discernere valet inter duo, nisi utrumque norit, & est satis euident, qui enim discernit inter incognita? Item prudentia versatur circa singularia, hoc scilicet, aut illud esse prosequendum, vitandum, &c. Sed prudentia est intellectualis virtus: ergo, &c. Rursum fides diuina sepe singularium est, ut B. Virginem matrem esse Dei, Christum passum esse, & tamen fides est virtus intellectus: ergo, &c. Similiter charitas ad singularia materialia tendit, & est in voluntate, quæ intellectum sequitur: concipit ergo intellectus proprio actu hæc singularia. Ratio à priori sumitur ex vniuersalitate potentie, est enim superior, & potens omnia, quæ inferiores sensus, imò dirigens illos, & errores illorum corrigit: multo ergo melius singularia nouit, quam sensus.

4. Contrarium tamen huius conclusionis tenent Philopon. & Alexand. 3. de Anima, c. 8. Themistius c. 20. Auerroes comment. 9. Mirandulan. lib. 23. de euerfione singularis certaminis, à sectione 4. Au-
Franc. Suarez de Anima.

reolus in 1. dist. 3. quæst. 4. art. 1. Capreolus ibid. quæst. 2. Caietan. 1. p. q. 68. art. 1. Egid. quodlibet. 1. quæst. 9. & alij. Aiumt ergo, maximè Caiet. intelle-
ctum non formare proprium conceptum rei singularis, sed illam tantum confusè cognoscere ad hunc modum. Concipit intellectus prius hominem, v. g. intelligensque illum non posse abstrahere subsistere, arguit esse contractum in singulari aliquo: cognoscit ergo indefinitè esse aliquod singulare humanæ naturæ, modo alio singulari distinctius concepto. Sed falsi sunt in hac opinione ij auctores, neque ratio adducitur apprensens, nec supra factæ rationes dissoluntur. Nam verè ad tam euidentem discursus, quales sunt illi, quos circa singularia habemus, non sufficit illa argutia, & confusa cognitio.

Secunda conclusio. Intellectus noster cognoscit singulare materiale per propriam ipsius speciem. Hanc negant nonnulli ex citatis pro prima conclusione auctoribus, duplici tamen medio probare possumus. Primum est, quia nihil repugnat dari speciem spirituales impressam representatam singularis rei materialis, ut sic: ergo talis species produci valet ab intellectu agente: ergo à possibili iam cognoscetur singulare per propriam speciem Antecedens sua detur primò. Nam potest dari species expressa, seu proprius conceptus rei singularis, ut probatum est: ergo & species impressa, ac propria iuxta dicta supra lib. 3. c. 5. circa quintam difficultatem. Probatur secundò idem antecedens. Nam in Angelis, ut in proprio loco tractamus, dantur species spirituales, & singulares representantes propria singularia materialia, ut sic: ergo non repugnat materiale singulare representari per speciem spirituales. Tertiò res vniuersales materiales representantur per speciem spirituales: ergo & singulares poterunt representari. Nam si semel per spirituales qualitates potest representari res materiales, nihil interest, singularis ne sit, an vniuersalis. Dices: hoc interesse, quod in cõmuni representatur spirituali modo, in particulari autem modo materiali. Sed contra: quia in primis res materialis, atque indiuidua potest etiam representari spirituali modo ex parte speciei representantis, ut patet in Angelis. Deinde probatur primò consequentia, quia si repugnaret materiali speciem in nostro intellectu passiuo, vel repugnaret propter illius incapacitatem: vel quia licet capax sit recipere, intellectus tamen agens non potest illam producere. Non primum, intellectui enim, ut intellectus est, non repugnat habere speciem propriam rei singularis, ut patet in angelico: ergo nec repugnat humano: non enim est maior ratio, quin potius humanus videretur aptior, quia magis accedit ad materialitatem. Secundum etiam dici non potest. Nam virtus actiua intellectus agens debet esse ad æquata capacitas intellectus possibilis: ergo si non repugnat ex parte intellectus possibilis, non repugnat ex parte agentis, seu minus assignetur ratio aliqua eiusmodi repugnantie intellectus agentis, cur etiam possit efficere species vniuersalium, non verò singularium, quandoquidem possibiles admittuntur. Confirmatur hæc ratio. Nam in anima separata manet cognitio rerum singularium, & actionum particularium, quas gessit in vita, ut patet ex colloquio diuitis cum Abrahamo, quod refertur Luca 15. tractabitur infra l. 4. c. 7. agendo de anima separata: manent ergo species in ea anima rerum singularium, non enim dicendum videtur à Deo denuo infundi, tum quia superfluum id videretur, neque etiam ratio vlla daretur, cur infunderentur horum potius, quam aliorum singularium species. Tū quia si tunc primò infundantur, non id sanè contingit propter capacitatem solummodo obedientialem
2. Assertio duplici via ostenditur.
1. Via multiplicitate sua detur.
2. Lib. 1. de Angel. c. 6. & 13.
3. Euasio ostenditur.
Confirm.

intellectus, alias animæ separatæ supernaturaliter cognosceret singularia materialia, quod est absurdum: infunduntur ergo ob naturalem capacitatem: ergo animus noster de se est capax specierum rerum singularium: ergo illa aptitudo, & potentia virtute intellectus agentis in hac vita actuari, expeririq; potest. Atq; hæc de primo medio.

6. Secundum medium ad ostendendam conclusionem ita habet. Si intellectus noster careat specie rei singularis, non poterit formare propriam, & distinctum eius conceptum: hinc enim Caiet. supra citatus potissimè negavit intellectui nostro conceptionem propriam rei singularis, quod scilicet careat propria illius specie: ergo à contrario, si habet propriam, ut est probatum, necesse est propriam efformet conceptionem. Probatur consequentia, quia non valet intellectus de re cogitare amplius in actu secundo, quàm datum ei sit in actu primo, seu per speciem: ergo si non habet propriam speciem de re singulari, neque propriam formabit conceptionem. Tandem confirmatur magis consequentia hæc excludendo modos, quibus dici solet singulare cognosci ab intellectu reflexè. Vnde sit.

7. Tertia conclusio. Intellectus noster cognoscit directè singularem materialia abs reflexione. Probatur ex præcedenti conclusione. Nam omne, quod cognoscitur per propriam speciem, per illam valet directè cognosci: ostendimus autem singularia, de quibus agimus per propriam cognosci speciem, ea igitur directè attinguntur ab humano intellectu. Deinde probatur, excludendo modos omnes cognoscendi tantum per reflexionem. Ac primum Caietani iam refellimus. Secundus ex S. Thoma 1. p. q. 2. art. 6. est singulare cognosci quatenus intellectus cognita prius naturaliter reflectitur ad phantasma ipsum, à quo rei vniuersalis species fuerat abstracta, ac per illud rem singularem cognoscere. Rogo autem, qua ratione per conuersionem hanc ad phantasma singulare cognoscatur: & per quā speciem. Nam vel cognoscitur per phantasma, tūquam per obiectum, seu medium cognitum: vel tanquam per speciem. Tanquam per obiectum cognosci, est impossibile primo, quia alioquin prius foret cognoscendum ab intellectu phantasma ipsum, quàm singulare in eo representatum, quod est contra experientiam, multi siquidem singularia norunt, ac de illis ratiocinantur, qui nihil nouerunt de phantasmatis. Secundo, quia rationi dissonum est, ut intellectus in re materiali, & inferioris ordinis, tanquam in obiecto quippiam cognoscat. Effet enim magna quedam illius imperfectio, nullaque cogens ratio ad illam asserendam, imo in omnibus alijs etiam brutorum potentij cognoscentibus insolita. Tercio, quia phantasma ipsum est quid singulare, ac materiale: ergo si cognoscitur, ac in illo res singularis tanquam in obiecto representatur, iam singulare ipsum materiale directè cognoscitur. Quarto si cognoscitur singulare in phantasma, assignanda erit intelligibilis species, qua illud cognoscat, non quidem species rei vniuersalis, quia indifferens est, nec magis hoc, quàm illud singulare representans. Iam vero cognosci singulare per phantasma tanquam per speciem, seu medium non cognitum, dici nullo modo potest. Quia res materialis, & inferioris ordinis nō potest concurrere in actum spirituale. Tertium, tamē modum assignat Soto. lib. Phys. q. 2. ar. 2. dicens singulare cognosci ab intellectu per determinationem ad particulare phantasma, sed vel modus hic coincidit cum præcedenti, vel illud certe nouum continet, quod phantasia operante circa tale aliquod singulare ita determinetur intellectus, ut per speciem vniuersalem possit iam singulare attingere:

quod tamen impossibile est: namque operatio phantasia impertinens est, atque inutilis, si intellectus ipse intra se non habet sufficiens principium cognitionis, qualis non est rei vniuersalis species, sed sola species rei singularis: ergo, &c. Alij vniuersalem speciem cognita intellectus modo excludunt, tandem ponunt cognosci singulare cognita intellectus modo excludunt, gra collectione accidentium illius. At tunc creditur quæstio de accidentibus, an in vniuersali, an in singulari potius cognoscantur. Si primum, per illa profecto non deuenimus in cognitionem huius singularis. Si secundum, ergo accidentia singularia cognoscuntur directè per propriam speciem, quod est intentum.

Præterea contra prædictas reflexiones omnes in vniuersum sunt argumenta. Primum ab experientia: nam antequam sciat vnusquisque reflecti descendendo à natura vniuersali ad singularia, non nouit ipsa singularia. Rusticus enim cognoscit Petrum, resque cæteris indiuiduas, ac circa illas ratiocinatur immediate, cum prorsus ignoret naturas vniuersales, quod etiam doctus quilibet valet in se experiri, si consideret modum, quo singularia nouerat, antequam philosophiam perdisceret, aut etiam dialecticam. Secundum argumentum fit: quia si in intellectu esset tantum species vniuersalis naturæ specificæ, vel genericæ, per quam cognosceret ipsam, sequeretur dari in intellectu vnam tantum speciem representantem hominem in communi: namque vna producta omnes alie essent superflue: ergo species hominis semel tantum abstraheretur ex phantasmate singularis hominis primo cogniti: ergo occurrentibus sensui alijs hominibus, intellectus nullam de cætero speciem acquireret: ergo non posset illos distinctè cognoscere, cum ibi nulla esset conuersio ad phantasmata, siquidem intellectus nullā haberet speciem desumptam ab eorum phantasmatis. Tertium argumentum. Nulla ratio, aut experientia se offert ad denegandam intellectui directam cognitionem singularis, quia aut negatur propter ipsius intellectus imperfectionem, aut propter perfectionem. Si hoc posterius dicatur, sane multo perfectiores sunt intellectus Angelorum, ac Dei, qui tamen singularia directè noscunt: si prius illud asseratur, multo imperfectiores sunt sensus, & tamen etiam illa percipiunt. Quod si occurritur, impotentiam prouenire ex imperfectione alterius rationis, nimirum, quoniam intellectus noster in gradu, & ordine intellectuum est imperfectissimus, ideoq; valere quidem naturas vniuersales cognoscere, non tamen indiuidua: hoc certe non rectè dicitur: Intellectus enim quantumuis imperfectus eleuatur supra perfectionem sensus: qua de causa nullus sensus, solus vero intellectus ad vniuersalium cognitionem potest attingere. Habere ergo debet quicquid perfectionis est in potentij inferioribus, cuiusmodi est directæ singulorum perceptio. Obseruandum tamen, non omnia singularia æqualiter cognosci ab intellectu, sed præcipue naturarum, quas per proprias species cognoscunt, ac de his procedere conclusiones, quæ autem sint ex natura, in sequentibus dicendum erit.

Contra nostram tamen sententiam depromitur argumentum ex Aristotele 3. de Anima, text. 10. sic scribente. Sensitiva ergo pars calidum discernit, & frigidum, quorum quoddam est ratio, caro: alia vero esse præcise carnis discernit, aut separabilis, aut sese habent ad seipsam, &c. perinde ac se habet cum sese extendit linea reflexa. Ex quo patet, in loco inferitur communiter singulare ab intellectu cognosci actu quasi reflexo. Sed non videtur locus: quippe Aristoteles intendit solum eundem esse intellectum, qui cognoscit singulare, & vniuersale: nam sicut eadem linea curva est, & recta, habens se tantum diuersimode, ita & intellectus duo illa cognoscens. Sic exponit Philoponus, & insinuat The-

SVAREZ
de Angelis, op.
p. 6. d. 1. m. c.
anima.

TON TON

D. V. 2

1. Pars dila-
tis pro-
bat 1.

2.

3.

4.

Pars 2. di-
lematis.

Excluditur
modus Soti.

Themistius in paraphrasi 3. de Anima, cap. 19. ad finem: quodcumque ergo Aristoteles pronuntiat intellectum esse vniuersalem, sensum autem singularem, interpretandus erit, quod sensus cognoscat tantum singularia, intellectus vero non tantum, sed ultra singularia ad vniuersalia quoque confendat.

10 Ad primam rationem, quæ erat secunda suasio in numero primo, dic. intellectum dici, & esse potentiam spirituales abstrahentem à conditionibus materia, non ob esse quominus possit cognoscere res materiales cum omnibus conditionibus indiuiduantibus, ut in Angelis patet: solumque posse inferri speciem, per quam intellectus cognoscit singularia, debere esse spirituales, cum quod stat representare posse rem singularem, ut ostensum est. Ad tertiam suasionem postea dicitur. Ad quartam, intellectus agentis abstractionem intelligi non debere productionem speciei representationis naturam communem sine conditionibus indiuiduantibus, quas phantasma representat, ut plerique voluerunt: sed intelligi productionem speciei spiritualis abstrahentis in suo esse à materialitate phantasmatis, sicut iam supra exposuimus. Et hæc de modo cognoscendi singularia.

11 Superest iam, ut explicemus modum, quo intellectus cognoscit vniuersalia, qua de re sit quarta conclusio. Intellectus cognoscit proprio conceptu vniuersalia, abstrahendo à singularibus, seu non curando de illis. Hec constat experientia, consideramus enim hominem non considerando Petrum, & Paulum. Constat ratione. Nimirum hæc est vis intellectus supra sensum, ut proprias rerum quidditates cognoscere possit, quæ planè vniuersales sunt, & communes: quare, &c.

Dubia aliquot ex dictis resoluntur, an singularia, & vniuersalia per distictas species cognoscantur.

DVBIVM I.

12 EX dictis in hoc capite soluntur quæstiones alia incidentes. Quod ad hanc primam attinet, iam ex dictis habemus singularia cognosci per propriam speciem representantem nimirum conditiones rei indiuiduantes: vniuersale autem cognoscitur per speciem representantem naturam absque ijs conditionibus: per suam ergo vnumquodque attingitur. Probabilis tamen apparet, cum primo intellectus percipit vniuersale, id præstare per speciem representantem rem singularem, quod probatur in hunc modum. Posito phantasmate Petri, v.g. intellectus agens producit speciem Petri in intellectu possibili, habet siquidem virtutem ad illam efficiendam: estque naturale, ac vniuersale agens non impeditum: ergo non efficit speciem hominis vniuersalis. Posterior hæc consequentia ostenditur primo: quia species Petri representare nequit hunc hominem, quin representet hominem: per illam ergo potest homo absolute cognosci, atque adeo superflua est species alia. Secundo. Si intellectus agens duas species abstrahit, vnam representantem hominem, alteram vero Petrum, abstrahet similiter aliam, atque aliam animalis, viuientis, cæterorumque superiorum generum, cum æqua sit distinctio omnium inter se graduum, etiam vsque ad indiuiduam differentiam: consequens autem falsum est, iam enim multiplicabuntur intelligibiles species absque necessitate: cuius ratio à priori est, quoniam in inferiori omnia superiora continentur, siquæ species representans illud sufficiens principium est cognoscendi illa. Tercio: quia si omnium prædicatorum producerentur species distinctæ, posset facillimè res distincte cognosci quantum ad omnia prædicata sua,

quod tamen falsum est, cum ignoremus quæ plura genera, & differentias rerum singularium. Quarto, si quis solum vidisset albedinem, non discerneret inter illam, & colorem, quia ignoraret differentiam albedinis ab alijs coloribus: unde ignoraret etiam, an albedo, & color modo aliquo distinguerentur: ergo signum est non fuisse productas duas species albedinis, aliam, & aliam coloris. Si namque fuissent, cognosci vtrique possent tanquam diuersa ea, quæ ab illis representarentur. Quinto, si intellectus agens quoties occurrit indiuiduum omnium eius graduum species semper imprimeret in possibilem, semper ipse possibilis plures actus simul eliceret: quia non esset ratio, cur potius hæc, quam illa specie vteretur. Consequens autem absurdum est, atque ipsi etiam experientia contrarium: ergo intellectus agens à principio imprimit tantum speciem rei singularis, per illamque possibilis attingit tam singulare ipsum, quam vniuersalia in eo contenta.

Modus autem vniuersalia cognoscendi hic esse videtur. Namque dum intellectus cognoscit diuersa singularia etiam eiusdem rationis, siue simul, siue successiue (hoc enim parum ad rem interest) per diuersas planè species ea intelligit, cum à diuersis phantasmatibus fuerint abstractæ: species autem eiusmodi partim in representatione conueniunt, partim differunt, quia representant diuersimodè contracta: intellectus ergo vim habet tum ad consideranda indiuidua ipsa, ut talia sunt: tum etiam id, quod commune illis per species representatur, quod est considerare vniuersalia: atque hoc eodem modo cognoscit genera per conuenientiam scilicet specierum.

Sed notandum est, nos in conclusione tantum dixisse ad primam conceptionem rei vniuersalis non esse necessariam speciem representantem vniuersaliter, & abstractè. Namque habita prima conceptione rei vniuersalis, dubium esse potest, an ex illius cognitionis maneat in intellectu species representans ipsum vniuersale abstractè, atque vniuersaliter, & eo modo, quo fuerat cognitum: quod dubium problema esse potest vtrunque probabile, nam vna ex parte non videtur occurrere necessitatem ponendi talem speciem, cum cuiuscunque singularis propria species sufficiat, ut sufficere potuit pro prima conceptione. Ex altera verò parte, quæ probabilior apparet, potest assignari vtilitas, & necessitas, nempe ut intellectus possit facile, & prompte absque dependentia singularis, propriam quidditatem generis, differentiamque concipere: unde experientia videtur habere, postquam intellectus formauit semel conceptum rei vniuersalis, multo facilius concipere illud absque memoria alicuius singularis, quod signum est relictam esse in intellectu ipsius speciem. Confirmatur. Quia similiter supra diximus de imaginatiua, licet in prima compositione rerum simplicium non vtatur vnica speciei rei compositæ: attamen relinquere postea vnicam similem ergo erit intellectus.

Quid prius cognoscatur ab intellectu, vniuersale, an singulare.

DVBIVM II.

15 Quæstio secunda incidens, atque ex dictis resoluenda est, quid prius cognoscatur ab intellectu, vniuersale ne, an singulare. Sanctus Thomas, & quæ eum in superiori opinione de cognitione singularium reuera sequuntur, coherentem adiungunt, prius formari conceptum vniuersalem. Idem tenet Richardus in 2. dist. 24. q. 3. licet alius dicat singulare cognosci directe. Scotus in 1. dist. 3. quæst. 2.

vult speciem infimam prius cognosci, quam singulare, licet in 4. dist. 45. quæst. 3. nobilium sentiat dari propriam speciem intelligibilem singularis materialis sentati, Durandus verò in 2. dist. 3. q. 7. & Gregor. in 1. dist. 3. quæst. 3. art. 1. volunt prius concipi ab intellectu singulare, quam vniuersale, quod est mihi probabilius, sumiturque ex dictis, ac suadetur primò. Intellectus potest directè cognoscere singulare, ac prima species, quæ in intellectu imprimatur, est rei singularis: ergo id, quod prius concipitur, ipsum est singulare. Pater consequentia, quia potentia id prius concipit, cuius prius recipit speciem, vt inductione constat, & ratione: tunc enim est potentia constituta sufficienter in actu primo ad cognoscendum id, quod per speciem repræsentatur: ipsum ergo illic cognoscit. Secundò. Eo ipso, quod sensus cognoscit singulare, potest intellectus facillimè illud cognoscere, vniuersale verò non ita facillè, siquidem prius requiritur cognitio singularium, & conuenientia illorum, vt ab illis abstrahatur natura communis: ergo prius concipitur singulare, quam vniuersale. Confirmatur. Nam rudes, quia vnicum vident solem, conceptum Solis in communi non formant, sed illius tantum quem vident, vt quisque etiam apud se compertum habebit, antequam hæc abstractiones nouerit: ergo formati prius conceptus huius Solis, quam Solis in communi, ille autem conceptus apud intellectum est, cum ridiculum sit existimare rusticos homines nunquam intellectu solem concipere, cum circa illum vtrunque ratiocinentur, &c. Tertiò cognitio nostra à sensu incipit: ergo quod facilius sensu percipitur, facilius etiam concipitur intellectu, si id alioquin non repugnet: ergo, &c. Quæ sanè ratio est Aristotelis 1. Posteriorum, cap. 2. vbi ait notiora nobis ea esse, quæ sunt sensui proximiora, talia vero sunt singularia: vbi de singularibus in rigore loquitur, sicut olim eo loco exposuimus.

16

Notandum porro hanc doctrinam minime contradicere ijs, quæ 1. Physicorum traduntur, vniuersalia esse priora cognitione miris vniuersalibus, ibi enim comparatio fit vniuersalium inter se, hic verò vniuersalium ad singularia. Vnde si singularia quoque inter se comparemus, quæ magis communia sunt, facilius cognoscuntur, vt ibidem etiam docuimus: dici etiam potest, cum Aristoteles scribit vniuersalia esse cognitione priora, intelligi ordine doctrinæ, quoniam in qualibet scientia præmittuntur, quæ communia sunt, ne postea inepta fiat repetitio dictorum: non tamen intelligitur absolute particularibus non posse, quantum est de se, prius cognosci. Neque contra hanc resolutionem ulla restant argumenta, quæ difficultatem habeant.

An cognitio vniuersalium possit sensui competere.

DVBIVM III.

17
Resolutio
negatiua.

Vbi hunc similiter resoluitur ex dictis negatiuè iuxta communem doctrinam Aristotelis 1. phys. text. 49. & alibi non rarò. D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 4. & aliorum, dicendum enim est soli intellectui id conuenire, sensus enim non cognoscunt rem, nisi indutam accidentibus, nec perveniunt ad nudam rei quidditatem, vniuersale autem à conditionibus accidentalibus liberum est: & ideo eius cognitio est immaterialis, quia scilicet abstrahat ab omnibus conditionibus materiæ, ac præterea non fit sine aliquo discursu, & ratiocinatione. Oppones primò. Obiecta sensui sunt vniuersalia, verbi gratia, color absolute, non hic, aut ille primariò, sed vnaquæque potentia cognoscit

Obiectio 1.
contrare-
sultionem.

suum obiectum: cognoscit ergo sensus res communes. Secundò visus à longè nò discernit determinatè hunc, vel illum hominem, sed aliquem: aliquis autem homo communis quippiam est, quam hic homo, ergo, &c. Tertiò, quia in sensu dari potest abstractio, percipit enim oculus in pomo colorem abstrahendo à sapore, & odore, cum eos non attingat: ergo & abstractio vniuersalis dari poterit in sensibus.

Ad primum respondetur ex S. Thomæ 1. 2. quæst. 29. art. 6. obiectum sensus esse quidem vniuersale, non secundæ intentionis, sed primæ, id est, naturam communem in multis indiuiduis contentam: huiusmodi autem vniuersale non attingi à sensu in sua vniuersalitate, sed particulariter contractum: sic obiectum visus est lucidum absolute, quia quidquid videtur, luce perfunditur, exercite verò nunquam conspicitur color in communi, sed hic, vel ille color determinate. Vnde talis determinatio, seu contractio obiecti sensibilis est voluti necessaria conditio, vt sentiri possit, natura autem communis, qualis ratio formalis obiecti sensibilis, & ideo Aristoteles 2. Posteriorum scripsit sensum esse vniuersalem, sentire verò singularem. Ad secundum respondetur oculum cernere singulare determinatum, hanc scilicet rem coloratam, vel figuratam, quicquid est, vel motam, &c. Dubitatio verò ipsa, an sit Petrus, an potius Paulus, &c. vt ego existimo apud intellectum est, non apud sensum. Ad tertium respondetur in sensu proprie non inueniri abstractionem formalem, provenientem scilicet ex virtute potentie: quod ergo sensus illo modo abstrahat, cognoscendo nimirum colorem absque sapore, limitatio est virtutis ipsius, quod nequeat ultra colorem amplius aliquid attingere, non autem propria, ac præcisiua abstractio. Negatur igitur argumenti consequentia: nam abstractio vniuersalis ex virtute, & immaterialitate potentie provenit, ille autem modus abstractionis non item.

Quid sit abstractio intellectus, & quomodo fiat.

DVBIVM IV.

Quarta dubitatio ex superioribus quoque ita resoluitur: constat nimirum ex dictis abstractionem, vel posse referri ad speciem ipsam, vel ad naturam repræsentatam in specie: si ad speciem referatur, operatio est intellectus agentis, qui abstrahere dicitur species à phantasmatibus propter rationem in precedentibus allatam: si vero referatur ad naturam repræsentatam, communiter etiam asseritur huiusmodi abstractionem fieri virtute intellectus agentis producentis speciem repræsentantem nudam per vniuersalem naturam. Verum ex dictis liquet intellectum agentem talem aliquam speciem non producere. Ea ergo abstractio operatio est intellectus possibilis, quæ naturam vniuersalem considerat absque conditionibus indiuiduantibus, sic enim per actum illum repræsentatur natura, vt vniuersalis, atque abstracta.

Estque hoc loco notandum, abstractionem aliam dici vniuersalem, aliam formalem: per hanc vniuersaliusque rei propria ratio concipitur, non attendendo ad cætera sibi fortè adiuncta: quomodo in scientijs abstrahimus essentiam à proprietatibus, genus à differentia, &c. vt vniuersaliusque propriam rationem inuestigamus. Atque hæc formalis abstractio distinctionem aliquam supponit inter rem abstractam, & cætera, à quibus abstrahitur, vel sine quibus consideratur, vnde proprie non causat distinctionem, sed concipit. Abstractio

Quid ab-
strahit v-
niuersalis.

Vtriusque ad
quid infer-
uiat.

Vniuersalis, vt sic fit ab inferiori: dico autem, vt sic, quia superius abstrahi etiam potest praecise, seu abstractione formali, considerando illud secundum ea, quae ex proprijs actualiter habet, non consideratis inferioribus. Alio ergo modo abstrahitur superius, ita vt in potentia claudat inferiora, & haec dici solet abstractio vniuersalis, vt sic, quia in ea concipitur res, vt vniuersalis, & communis. Praeter has vero abstractiones nulla alia in intellectu reperitur, vt experientia constat: fueruntque necessariae, & sufficientes ad res perfecte cognoscendas, nam abstractio vniuersalis fuit necessaria ad adtribuenda obiecta scientiarum perpetuae: formalis quoque fuit necessaria ad perfecte comprehendendum obiectum, distinguendo omnia, quae illi conueniunt. Vnde haec duae abstractiones se inuicem iuuant, & sibi deseruiunt. Vtriusque autem illarum ex virtute, & immaterialitate intellectus prouenit, quia enim intellectus immaterialis est, minime subiicitur materialitati obiecti, sed vincit illam, & quantum fieri potest ipsum spiritualizat. Rursum, quia immaterialis est, subtilitatem habet ad diuidendum cuncta, & penetrandum quid sit vniuersumque eorum proprium: ac denique quia incorruptibilis est, potest incorruptibili modo res vniuersales concipere.

An vniuersale fiat per comparationem, an vero per abstractionem.

D V B I V M V.

21
Prima dubitatio emendatur.

VLtima dubitatio ex dictis quoque decidenda est, quo modo vniuersale fiat ab intellectu, per abstractionem ne, an vero per comparationem? Quae versari solet latissime in principio logicae: sed immerito, ibi enim multis etiam verbis intellegi vix potest, hic vero per facile. Notandum est, naturam, quae ab intellectu vniuersalis concipitur in rebus ipsis reperiri, & a parte rei habere vniuersalitatem quandam, quae in vnitatem eiusdem naturae in multis existentis sita est. Vnde natura sub hac vniuersalitate non fit, sed potius cognoscitur ab intellectu: haec porro vniuersalis natura a parte rei non subsistit abstracta ab indiuiduis, imò existit facta particularis: intellectus autem cognoscit illam abstracte, cognoscendo scilicet solitariam, ac sine indiuiduis, & in ea quid sit abstracta duo possunt considerari. Primum est essentia: secundum modum essendi, quem in intellectu habet, nimirum esse abstractum. Primum realiter datur in natura, seu ipsa est natura, cognosciturque ab intellectu directa cognitione, quae solet dici prima intentio, seu conceptus formalis: natura vero sic cognita prima intentio obiectiua, siue obiectiui conceptus. Secundum autem non est quidem in natura ipsa realiter, quia natura, vt diximus, realiter non est abstracta: neque tamen est secunda intentio, seu relatio rationis, quia eiusmodi entia non nisi dum cognoscuntur, existunt: quando autem primo natura abstracta concipitur, nullum adhuc ens rationis ab intellectu concipitur: nullum ergo tunc ens rationis est à quo natura dicatur abstracta: talis ergo denominatur extrinsece ab actu intellectus, in quo abstracta representatur, & per quem sic abstracta cognoscitur, quemadmodum res visa dicitur, vel amata denominatione extrinseca: cum ergo in natura abstracte cognita duo illa reperiuntur, natura videlicet eiusque abstractio, intellectus directa operatione cognoscit naturam ipsam, per virtutem autem res ascendendi non sistit in ea directa cognitione naturae, sed ultra procedit considerando modum, quem natura ipsa habet, vt est cognita, deprehenditque nudatam omni contractione, ac nuditatem ipsam quasi formam quan-

dam talis naturae considerat, ratione cuius plura ipsa respicit, à quibus fuerat denudata, siue abstracta. Atque haec vocatur notitia comparatiua, seu secunda intentio formalis: natura vero, vt sic, cognita, appellatur secunda intentio obiectiua. Est scilicet haec vis intellectus nostri, vt quoties deprehendit rem ab aliquo extrinseco denominari, quo exactius denominationem ipsam comprehendat, sic eam fingat, ac si rei denominatae forma aliqua denominationis adhereret, & hoc modo innumeratas fingit relationes rationis, vt relationem creatoris in Deo, relationem vili in pariete: idem ergo fit in proposito.

Ex his constat triplicem posse considerari vniuersalitatem in natura. Primam, quae a parte rei dicitur vniuersalis: alteram, quam habet ab intellectu per extrinsecam denominationem, & abstractionem, iuxta quam ipsa natura representatur, vt communis, & indifferens: tertiam relationis, quae est quasi applicatio secundae vniuersalitatis ad naturam ipsam, ac si in illa existeret realiter. Natura primo modo solet dici vniuersale physicum, quia vnde est subiecta motui, & accidentibus sensibilibus. Secundo modo dicitur vniuersale metaphysicum. Tertio vniuersale logicum: quoniam appellationes eiusmodi non sunt omnino necessariae: prima enim vniuersalitas potest optimè metaphysica dici, quia à metaphysico consideratur, & quia in rebus metaphysicis abstrahentibus à materia secundum esse reperitur. Secunda quoque vniuersalitas, quoniam metaphysica dicatur, eo quod ad metaphysicum pertineat inquirere, an natura abstracta sit a parte rei, nec ne: at tamen dici etiam potest physica, quia cum illa abstractio sit opus intellectus, physicus differendo de operibus intellectus debet etiam de illa abstractione agere: quod logico quoque incumbit ea ratione, quia operationes intellectus considerat, ac denominatio non simul ab eis prouenientis: sicut considerat rationem praedicari subiecti, & similia. Vniuersale denique tertio modo logicum vocari cōuenit, quia communiter censetur, artificem dialecticum praecipue agere de entibus rationis: sed reuera magis proprium est Metaphysici, cuius est entium rationis à rebus distinguere, & illorum entitatem inuestigare: dialectici vero non item, quin potius nimis id extrinsecum est primatio fini illius: sed quidquid sit de nominibus, vtendum illis erit cum pluribus.

Ex dictis patet solutio huius dubitationis postremae, quae tribus conclusionibus continetur. Prima. Vniuersale primo modo non fit ab intellectu, sed illius cognitioni supponitur. Haec in logica probata est à nobis, atque etiam inferius magis probanda. Secunda. Vniuersale secundo modo per abstractionem intellectus efficitur. Tertia. Vniuersale tertio modo, quod logicum vocatur, in relationeque rationis consistit per actum reflexum, qui etiam notitia comparatiua dicitur, solummodo datur. Vniuersale primo modo ens reale est. Tertio modo est ens rationis pro formali, ac tale quoque censetur à multis vniuersale secundo modo; quoniam illa etiam vniuersalitas per intellectum efficitur, nihilque ponit in re abstracta: re vera tamen rationis relatio non est, sed natura ipsa realis, vt existens sub directa conceptione mentis, atque vt à tali conceptione denominata. Vnde vniuersale primo modo reale quippe est, rebusque intrinsecum: tertio modo non nisi quid per rationem fictum, ac tanquam intrinsecum rei cogitatum. Vniuersale denique secundo modo reale aliquid est, rem tamen extrinsece denominans.

Ex his conciliantur diuersae opiniones in hac materia. Alij enim dicunt vniuersale fieri per abstractionem, quod infinuat S. Thomas, p. q. 16. art. 7.

22
Vniuersale triplex, de quo lucet in d. sp. 6. Metaph. 8. an. 3.

23
Concinitur auctor d. sp. 6. Metaph. 10. an. 3.

24
Dubitatio naturae solutio.

24
Quo pacto quidam res soluant.

art. 7. ad 2. q. 85. art. 1. & art. 3. ad 4. & opusculo 42. cap. 5. & opusculo 55. de ente, & essentia, cap. 4. 7. Metaph. lect. 13. indicat etiam Commentator 1. de Anima, textu 8. dicens intellectum facere vniuersalitatem in rebus, quod communiter accipitur de intellectu agente producente species vniuersales: nam Commentator ipse 2. de Anima, textu 10. ait intellectum moueri ad ultimam perfectionem a rebus vniuersalibus: mouetur autem ab speciebus. Et 3. de Anima, textu 8. scribit, si vniuersalia essent extra animam, frustra ponendum intellectum agentem, quasi ipse ea faciat. Similem sententiam indicat Durand. in 1. dist. 3. quaest. 5. num. 27. & in 2. dist. 3. q. 7. num. 12. Flandria 7. Metaph. q. 16. art. 1. & in 3. Metaph. q. 3. art. 2. Soto in logica quaest. 2. & 3. vniuersalium. Alij opinantur vniuersale fieri per notitiam comparatiuam: sicut etiam sentire videtur D. Thom. 1. Periherm. lectione 10. vbi inquit, intellectum formare intentiones, & tribuendo illas rei intellectae, dum ipsam comparat ad res, quae sunt extra animam. Et apertius 1. p. quaest. 28. art. 1. in corpore, & ad 4. atque ibidem Caietanus. Et rursus S. Thomas de potentia quaest. 7. art. 1. & opusculo 48. cap. 1. & 2. atque etiam 4. Metaph. textu 5. Caiet. in cap. de Genere, & de ente, & essentia, cap. 3. & 4. paulo ante quaestionem 7. & iterum in ipsa quaest. 7. Item Ferrar. 4. contra, c. 11. Soncin. 10. Metaph. quaest. 15. Scot. 7. Metaph. quaest. 18. Antonius Andreas 16. quaest. 17. Antonius Trombet. in quaestionibus Metaphysicis q. 2. art. 1. Vigerius, & copulata Louanienf. cap. de genere.

Quo pacto
alii.

25
Quoniam
admittenda
sit 1. opinio.

Vtraque vero opinio potest ad veritatem conciliari, vel etiam ad falsitatem trahi, & perperam exponatur: si enim prima tantum velit naturam, eo ipso quod abstractum habere modum aliquem vniuersalitatis, quem non haberet in rebus, recte exponitur, siue vniuersalitas illa vocetur Metaphysica, siue logica, id quod in hunc modum suadetur primo, si vera esset positio Platonis, ideam hominis esset in rerum natura subsistens abstracta ab indiuiduis, proculdubio haberet alium modum vniuersalitatis, quam nunc habeat: ergo etiam quando concipitur illo modo, videlicet tanquam abstracta ab indiuiduis, planè vt sic representata, & concepta habet modum vniuersalitatis quem re ipsa non habet. Confirmatur, quoniam illa natura concepta, vna est obiectiue, & praescindit ab inferiori multitudine, estque communis multis: est ergo tunc vniuersalis alio modo, quam in rebus. Secundo. Natura vt abstracta habet alium modum, quam in rebus habeat, id est, non est singularitatis, sed potius indifferentiae, & communitatis: ergo. Tercio. Natura per contractionem fit singularis: ergo dum a contractione liberatur, accipit modum essendi contrarium singularitati: ergo fit aliquo modo vniuersalis: si ergo prima opinio hoc tantum dicat, vera erit, si secunda id ipsum neget, erit falsa.

26
Quoniam
secunda.

Quod si prima opinio intelligat, secundam intentionem, seu relationem vniuersalitatis fieri per abstractionem, sine dubio falsa est, cum fiat per comparisonem, & in hoc verum habet secunda opinio, hocque negare esset ignorare differentiam inter relationem realem, & rationis. Primo, quia si facta abstractione, illico natura abstracta refertur ad inferiora, certe refertur realiter. Probatur: nam vel refertur realiter, vel fingitur referri: at verò referri non fingitur, nisi dum ad ipsa inferiora comparatur, vt ex supradictis patet: ergo si refertur, realiter sanè refertur. Secundo. Per meram cognitionem abstractiuam non cognoscitur relatio aliqua vniuersalitatis: ergo nec inde confurgit, vllum esse habet. Patet consequentia: quoniam relatio rationis aliud non habet esse, quam cognosci: solum enim existit, cum obijciatur

intellectui, esse autem obiectiue nihil est aliud, quam cognosci. Certè, si eiusmodi entia rationis existerent etiam quando non cognoscuntur, realia planè essent: non enim medium datur inter esse fictum, & reale: esse autem fictum, non est nisi dum fingitur. Tercio explicatur idem per relationes alias rationis: etenim paries, v.g. denominatur visus ante Operationem intellectus, & similiter Deus denominatur creator, & tamen neque paries refertur relatione visi, nec Deus relatione creatoris, nisi quando intellectus ea actualiter comparat, & refert: nam si ante hanc comparationem referrentur, planè a parte rei referrentur: ergo idem est in praesenti dicendum. Quocirca rectè intellecta natura relationis rationis, est in hoc sensu secunda opinio planè euident: neque vlla alia hic superest difficultas.

CAPVT IV.

Quo pacto intellectus noster cognoscat substantiam materialem, & alia per accidentia sensibilia.

Est inter alias lata differentia sensuum, ac intellectuum, quod illi in externorum accidentium sensibilibus cognitione fiant: intellectus verò ex accidentium cognitione ad contemplanda ea, quae sub accidentibus cadunt, atque latent, ingreditur: vnde intellectus nuncupatur, quasi intuitus leges, de accidentibus ergo per se sensibilibus nulla difficultas est, qua ratione ab intellectu cognoscantur, nam cum ea species suas sensibus imprimant, consequenter etiam imprimunt in intellectu possibili virtute agentis intellectus: de alijs verò rebus, vt de substantia, & de accidentibus ijs, quae per se non cadunt sub sensum, difficultas restat. Pro qua fit prima conclusio. Sensibilia per accidens non cognoscuntur primò ab intellectu per proprias species. Probatur: nam species, quae primò fit ab intellectu, est omnino similis in representatione phantasmati, sed per phantasma tantum representatur res secundum accidentia per se sensibilia: ergo eandem rem, & eodem modo representat species intelligibilis facta ab intellectu agente. Maior patet, quia cognitio sensitiua est principium cognitionis intellectiuae, nam determinat intellectum agentem ad productionem talis speciei: ergo talis est representata per speciem intelligibilem productam ab intellectu agente, qualis fuerat per sensum cognita, representataque in phantasmate. Occurreret fortasse phantasma non representare tantum accidentia sensibilia, sed etiam aliquo modo subiectum eorum: siquidem illa non abstracte representantur, sed concretè, atque adeò deuoluendo in tali representatione subiectum, idque esse satis, vt intellectus agens possit inde propriam subiecti speciem, nimirum substantiam eruere. Sed falsò occurritur. Primo, quia intellectus agens speciem producit determinatus à cognitione phantasiae, quae non nudum subiectum percipit, sed accidentibus affectum, seu hoc album, hoc quantum, &c. hoc ergo ipsum per speciem intelligibilem spiritus aliter representatur. Secundo. Si data responsio vera foret, iam sequeretur, apprehensio per proprium phantasma homine, v.g. confestim intellectum agentem producere speciem representantem substantiam hominis, atque adeo materiam illius, & formam. Consequens, & falsum est, & contra experientiam: ergo, &c. Sequela patet: quia etiam in eo phantasmate confusè representatur hominis substantia. Confirmatur institutum: nam ideo Angelorum, & Dei non potest dari in intellectu nostro

Cognoscitur
quod est
primò
Secundo

SVAREZ
de Angelis, opus
6. de anima, et
anima.

THOMAS
1. de anima, et
anima.

D. V. 2